



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Medvlla Theologiæ Moralis

Busenbaum, Hermann

Monasterii Westphaliæ

Dub. II. Quæ sint suspensiones in particulari, & quis ab eis poßit
absolvere?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40957

DUBIUM II.

Qua sint suspensiones in particulari, & quis ab eis possit absolvere?

Resp. I. Suspensiones Juris communiore sunt sequentes.

I. Clerici ipso jure suspensi sunt. 1. Recipientes ordines sacros ab alieno, vel à proprio, in aliena diocesi, vel sine ætate legitima, aut dimissorii, aut titulo, vel extra tempora, aut non servatis interstitiis, vel per saltum, vel in censura, vel denique post matrimonium ratum: qui omnes suspensi sunt ab executione ordinum, nisi fecerint absque dolo: & si Ordine utantur, fiunt irregulares. 2. Excommunicans, suspendens, aut interdicens sine scriptura, & causæ expressione, est suspensus per mensem ab ingressu Ecclesiæ, nisi sit Prælati regularis. 3. Clerici scienter eligentes Episcopum, vel Parochum indignum, suspenduntur à beneficiis biennio. 4. Ordinans & ordinatus simoniace, est suspensus ab ordinibus. 5. Parochi jungentes sponfos alterius Parochiæ sine licentia. 6. Gravantes alienis debitis Ecclesiis sibi commissas. 7. Occupantes bona vel census Ecclesiæ, beneficii, vel alterius pii loci. 8. Sodomiam exercentes, simoniaci, provocantes ad duellum, vel acceptantes, raptores vel præbentes auxilium. 9. Disputantes in alterutram partem in coetu virorum ac mulierum, de immaculata Conceptione B. Virginis. 10. Visitantes, si accipiant pecuniam vel munera:

qui

qui si sint Episcopi, suspensi sunt ab ingressu Ecclesie, si inferiores Episcopo, ab officio & beneficio, usque dum restituant duplum, II. Judex Ecclesiasticus (non Episcopus) qui facit iniuriam contra iustitiam, & conscientiam parti litiganti, v. *Bon. d. 3. p. 5.*

II. Religiosi. 1. Apostatae recipientes ordines in apostasia. 2. Admittentes ad professionem, ante annum probationis peractum. 3. Non utentes habitu, & vestitu, modo sibi prescripto. 4. Introducentes mulieres in Monasteria.

III. Episcopus, 1. Ordinans non subditum, suspensus est à Pontificalibus per annum: ordinans verò iavitu[m] suspensus est per annum à celebratione. 2. Admittens resignationes, contra formam prescriptam. 3. Intrans monasteria Monialium sine necessitate, v. *Fill. 2. 17. c. 5.*

Resp. II. Præter has suspensiones aliæ sunt ab homine. quæ sint graves, requirunt culpam mortalem, v. g. ut quis suspendatur ab omnibus actibus sui officii, vel fructibus unius anni. Potest tamen aliquis ob peccatum veniale privati uno actu, v. g. eligendi.

Resp. III. Habens Episcopalem auctoritatem potest absolvere à suspensione non reservata; & communiter religiosi ex privilegijs possunt absolvere ab omni suspensione in foro conscientie: & Episcopus potest absolvere ab omni suspensione juris, si Sedi Apostolicæ specialiter reservata non sit, *Lay. c. 4. n. 2. ex Nav. Suar. &c.* Imò etiam ab hac, si proveniat ex delicto occulto, & non deducto ad forum contentiosum, *Bon. d. 3. p. ult. ex Trident. sess. 24. c. 6.*

DUBL.